DISPUTATIO DE JURISCONSULTO E SENTENTIA CICERONIS, QUAM...

Cornelis A. den Tex, Marcus Tullius Cicero, ...

A

B

Viro Amplissimo Temper

in d.

A

[illegible]

BERG,
de
ICto a
sententia
Ciceronis.

DISPUTATIO

DE

JURISCONSULTO

E SENTENTIA

CICERONIS.

DISPUTATIO

DE

JURISCONSULTO

E SENTENTIA

CICERONIS,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

PRAESIDE

CORNELIO ANNE DEN TEX,

PH. TH. M. LITT. HUM. ET J. U. D. ET IN ILL. AMSTEL. ATHENAEO JURIS NATURALIS, GENTIUM ET PUBLICI PROFESSORE,

AD PUBLICAM DISCEPTATIONEM PROPONIT

AUCTOR

FRANCISCUS ERNESTUS BERG,

AMSTELAEDAMENSIS,

JUR. CAND.

DIE LUNAE, QUI ERIT XI NOVEMBRIS MDCCCXXII, HORA I — II,
IN MAJORE ATHENAEI AUDITORIO.

AMSTELAEDAMI,

typis M. SCHOONEVELD et FILII.

PATRI OPTIMO

ET

FRATRI CARISSIMO

SACRUM.

DISPUTATIONIS DISTRIBUTIO.

ELO-

Ju-

Di-

* * *

Dici vix potest, quantum valuerint antiquarum literarum monumenta inde a saeculo imprimis XVI, ad majorem humanitatem et cultum per Europaeas gentes magis magisque promovendum. Et sane cujusvis doctrinae generis perennes fontes habentur Veterum scripta, quae praeclara quaevis in populis studia alant, eosque boni et pulchri vehementi incendant amore.

Inter eos scriptores, qui prae aliis summa valuerunt in Europam efficacia, principi loco censendus est CICERO. Neque mirum, cum vix

ul-

ullus in antiquitate vir pari fuerit doctrinae et ubertate et varietate.

Tanta in Cicerone oratoria erat facultas, ut fuerint qui eum perfecti oratoris exemplum haberi posse affirmarent, et dubitarent forensis eloquentiae corona ipsine an Demostheni tribuenda esset. Uti autem Graecus orator, dicendi genere utebatur plane masculo, eloquentia grandi, forti, sublimi, rerum compressione brevi, ornata vel verborum gravitate vel sententiarum, sic palam de eo testatus est Cicero, tantas ejus esse laudes, *ut plane perfectum et cui nihil admodum desit, Demosthenem facile dixeris* (1). Quodsi sic illum depinxerit Cicero, suas quoque ipse habebat, neque minus egregias, quibus in arte oratoria excelleret, dotes. Mirabili dicendi vi praecellens, orationis suavitate, ubertate etiam atque flore egregie valebat; gravitati junctum habebat facetiarum et urbanitatis leporem, abundanti et elegantissima verborum sententiarumque utebatur copia; non tam perterrere auditores sibi proponebat, quam eorum animos fingere, formare, flectere, tum facere fidem, tum movere misericordiam. Sic, in eadem arte, via tam diversa processerunt, ut eos comparare vel

(1) *Brut.*, c. 9; *coll.* c. 37.

vel alterutri eorum eloquentiae palmam tribuere vix possis Quam praeclare de eloquentia existimaverit Cicero, egregie patet ex ejus libris de Oratore; hos cum legerem, nescio qua ineffabili ac paene incredibili voluptate perfundebar, sive verborum dictionisque spectarem elegantiam, sive rerum et sententiarum gravitatem ac pondus; nec mirum, ipse enim Cicero sibi se persuadere dixit, se quicquid habuerit judicii de dicendo in illum librum contulisse (1). Oratoris autem eas in illis libris doces adumbravit, ut qui iis praestat, sine ullo dubio *perfecti* nomen ambire possit. Consentientibus omnibus summus Orator habitus fuit Cicero.

Non minus philosophia inclaruit idem, etiamsi de ejus meritis, hac in causa, minus recte a nonnullis existimatum fuisse videatur. Fuerunt scilicet qui in Cicerone oratorem tantum agnoscerent et enarratorem rerum philosophicarum, negarent vero eum philosophiam ipsam tractasse. Sane studium res omnes indagandi, humanae naturae explorandae, non tantum habebatur in Cicerone, quantum illud in Graecis habitum fuerat. Sed quae erat philosophia Romana, quae spectabat res civitatis, res civi-

(1) *Ad Famil. VI.* 18. *ad Atticum, XIII.* 19.

viles, quae ad usum vitae pertinebat, haec propria erat Ciceroni. Sic qui a lectione Platonis et a Socratica philosophia ad legendum Ciceronem se conferunt, viri vere philosophi, his Cicero placere vix potest. Sed mirifice placebit, si diversam animadvertimus Graecae et Romanae philosophiae vim. Et sane, quo magis philosophandi facultatem excoleret, totum se imbuit studio Platonis et philosophiae Socraticae, ut hanc sermone suo et litteris Latinis illustraret et ad suos transferret (1). Uti vero Ciceronis aequales philosophando maxime hauriebant ex sui temporis philosophis, Alexandrinis; ita his non immoratus Cicero, germanos adiit aureae aetatis philosophos. Sic horum praeceptis et doctrina se imbuit totum, et eximios conscripsit de *Republica*, de *Legibus*, de *Officiis* libros, quibus, veluti Romanorum Plato, suae gentis philosophiam complecteretur (2). Philosophiam, quam a prima inde adolescentia in deliciis habuerat (3), postea

(1) *Nat. Deor. I. 4. Tusc. Quaest. I. 1. 3. De Finib. I. 4.*

(2) De philosophicis Ciceronis meritis egregius est MIDDLETON, *Leven van* CICERO, *vertaald door* ZILLESEN, *tom. praesertim III, pag.* 363—395.

(3) *Brut. c. 91. Nat. Deor. I. 3. Tusc. Quaest. V. 2.*

tea numquam intermisit (1), ita quidem ut egregii philosophi laude florens, philosophiam ipsi etiam dicendi arti multum praeponeret (2).

Sic et eloquentiae et philosophiae dotibus praecelluit Cicero. Sed uti Romani primi fuerunt novae disciplinae auctores, quae in suum cuique tribuendo versaretur; uti hanc disciplinam tamquam suam, sibique vere propriam, prae caeteris magni fecerunt et excoluerunt; ita et Cicero non potuit non ex populi sui indole et studiis cum ipse jurisprudentiam tractare, tum scriptis etiam suis cum aliis eam communicare. Nulli ante eum verae germanaeque philosophiae studium ad juris disciplinam retulerant. Valuit itaque illud in Cicerone eo, ut juris disciplinam ipsam explicare, ejusque fontes et fundamenta indagare primus omnium recte potuerit. Sic quae fuerat apud Graecos boni, veri et pulcri philosophia, ea Romae, Cicerone inprimis auctore, ad justum, ad jurisprudentiam relata est. Sed sola juris philosophia et cognitio legum non sufficiebat Ciceroni; juris praecepta non tantum tradidit et a-

(1) *Tusc. Quaest. I. c II. de Offic* I.

(2) PLUTARCH. *in* CICERONE, *c.* 32 FUSIUS GALLENUS, *in Orat. contra* CICER. *apud* DIO. CASS. *I.* XLVI.

aliis explicuit, sed eadem quoque in usum vitae diduxit, tamquam orator et causarum in foro agendarum patronus. Is igitur doctibus instructus erat noster, ut non solum jurisprudentiam tractaverit, ut caeteri, sed multa etiam contulerit ad promovendam eandem disciplinam, cum ejus fontes et principia indagaret, quod ante vix ulli agere instituerant. Inde a juventute juri addiscendo totum se dedit. Profitetur adeo, se quantum fieri posset, numquam a Scaevolae, viri juris scientia primarii, latere discessisse (1). Sic tam ex hujus aliorumque principum ICtorum praeceptis, ore traditis, quam ex lectione librorum, a ICtis de juris arte conscriptorum, profecit (2), et quanta sic in Cicerone spectanda sit jurisperitia, satis superque docent loca, quae, cum in ejus orationibus, tum in scriptis, quibus dicendi artem tradit, tum alibi etiam, occurrunt.

Mittimus hoc loco disceptationes, saeculo inprimis proxime elapso, de eo institutas, sitne Cicero in ICtorum numero censendus, an vero ICtus recte dici non possit. Negarunt Ubertus Folieta, Bynkershoekius, alii, quos enu-me-

(1) *De Amicit.* 1. *I. de Legib.* 4. *Brut.* 89.
(2) *I. de Finib.* 4. *I. de Orat.* 43.

nierat Lusac, in specimine apologetico pro ICtis Romanis (1); cum aliis vero affirmarunt Budaeus, Bachovius, Grotius et Bachius. Quidquid sit hujus rei, tot tantaque in Ciceronis scriptis prostant verae consultaeque jurisprudentiae documenta, ut Schultingium sequi non dubitemus, qui oratione peculiariter de hoc argumento habita (2), Ciceronem juris fuisse consultissimum, eximie probavit.

De perfecto oratore ex Ciceronis sententia adumbrando, quaesivit anno 1818 Ordo litterarum humaniorum et philosophiae theoreticae in Academia Trajectina, et responsa accepit, quae quaestioni propositae optime satisfacerent. De Ciceronis philosophia rite quoque existimari potest ex dissertationibus quibusdam egregiis in patria nostra editis, quae philosophiae Ciceronianae loca tractarunt, quo pertinent, ad locum Ciceronis de Natura Deorum Dissertatio viri Ampl. B. P. van Wesele Scholten, et ad locum de Finibus Disputatio, a Lennepio, viro Cl., optimo praeceptore, conscripta. Quae vero fuerit propria Ciceronis *de vero Jurisconsulto* sententia

(1) C. 3 §. 15—17. p. 46. seqq.
(2) Quae exstat in ejus *Dissertationum Volumine* Franeq, 1708.

tentia, qualem cum sibi efformaverit, quomodo de juris professione existimaverit, (quam, cum universe laudibus eam celebraret, aliquando tamen, pro Murena verba faciens, opprobrio habuisse videtur) ea peculiariter, quantum equidem scio, exposita non fuerunt. Hoc igitur scriptionis meae sumsi argumentum. Etsi enim ex disputationibus virorum consultiss Fretsii et Holtii universe constet de juribus, auctoritate, dignitate ICtorum Romanorum, non ineptum videtur tamen, peculiariter de Ciceronis sententia disquirere.

Ut hoc argumentum elaborarem, moverunt me quoque praeceptorum optimorum monita, qui ut studiorum quoddam ederem specimen, et in hac Musarum sede ad publicam disceptationem proponerem suadebant; quod consilium, eorum potius in me benevolentiae, quam meis qualibuscunque in jure progressibus acceptum referendum esse, animo sentio. Non autem me latuit hujusmodi argumenti tractandi cum jucunditas tum utilitas. Videbam enim perlegenda sic mihi esse et penitus cognoscenda Ciceronis scripta, et horum cognitio quam fructuosa sit futuro ICto, vel ex dicto Schultingii intelligebam affirmantis, extra Justiniani Pandectas nullum hodie antiquum exstare auctorem,

e

e quo magis quam ex M. Tullio Cicerone de veterum ICtorum ratione et antiquo jure Romano existimari possit (1). Sic ad scribendum accessi, hac fretus consolatione, a tirone, meaque aetatis juvene, non exquisitae doctrinae copiam, verum assiduitatis tantum et diligentiae specimen desiderari.

Quodsi qua re mihi gratum exstiterit hujus commentationis edendae consilium, ea quoque fuit, quod egregia sic praeberetur opportunitas jucundissimum exsequendi officium, et praeceptoribus optimis, quibus omnem litterarum amorem, omnem juris disciplinam acceptam refero, viris clarissimis VAN LENNEP, VAN REENEN et DEN TEX gratum animum palam significandi. Illi scilicet a primo inde tempore, quo in Musarum hac alma sede studiis operam navare et egregiis ipsorum lectionibus adesse coepi, tantae in me fuerunt humanitatis, benivolentiae tantae, ut quantum ipsis debeam dici vix possit. Ardenti enim me pulcri bonique amore, vehementi justi et aequi studio, tum publicis lectionibus tum privata familiaritate, incendentes, auxilium implorant numquam defuerunt, sive consilia ex-

(1) SCHULTING, *de Jurispr. Ciceronis*, in ejus *Dissert. Volum. pag.* 259.

excepterem sive litterarum suppellectile. Tu vero CL. DEN TEX, postquam in eximii Crassi locum vocatus, ipsius vestigia premere et egregius nobis praeceptor esse institueris, eadem me humanitate, eadem benevolentia excipere non recusasti, et insuper etiam tanta indubitatae tuae bonae erga me voluntatis dedisti specimina, et in ipsa hac commentatione conscribenda ita consiliis mihi tuis affuisti, ut in perpetuum me tibi obstrictum sentiam. Meo quidem vestrarum laudum non indigetis praeconio, Viri Cll., at gratias velim accipiatis candidissimas. Qui mihi fuistis semper, iidem et per illud tempus quo praeceptis vestris adhuc gaudebo, et in posterum quoque ut esse velitis, etiam atque etiam obsecro. Vos ne poeniteat vestrae in me benevolentiae, quantum in me est, providebo.

* * *

„QUO

„ QUO MODO SIBI VERUM JU-
„ RISCONSULTUM INFORMAVIT
„ CICERO?"

Observationes de Jurisprudentia apud Graecos.

Fuerunt multi, qui contenderent Romanos in artibus ac disciplinis parum habere, quod suum esse possint affirmare. Fatentur ipsi Romanorum viri principes, initia cultus sui Graecis deberi, et studia litterarum, sero admodum experita, Romam e Graecia esse translata. Sic cum eloquentiam tum poësin Graeca origine ductam, excoluerunt Romani, etsi in ipso eas excolendi modo propriam suam rationem secuti sint.

Erat tamen, quam Graecis acceptam minime referrent, disciplina juris, et nulla facile fuit, quae

quae majore a Romanis habebatur honore et existimatione. Veri et boni studium in Graecorum animis spiraverat; hinc philosophiae studia, quibus Graeci inclaruerunt. Justi amor Romae demum juris propriam efficiebat disciplinam.

Multum aliquando quaesitum est de jurisprudentia Graecorum. Collegerunt juris Attici praecepta cum Meursius in *Themide Attica*, tum Petitus in *Legibus Atticis*. Sed non ignoratur, in quantas difficultates incidat continuo, qui Graecum jus rite indagare conatur; etenim desunt certi plerumque fontes, unde illa cognitio hauriatur, cum ipsae legum tabulae ad nos non pervenerint, et ex oratoribus non nisi summa cum prudentia juris notitia comparari possit, propterea, quod causae suae inservire, et juris doctrinam non e vero explicare, sed e sua utilitate et commodo metiri, saepe oratores solerent.

Sed et alia ex re apparet, quam difficulter certi quid de Graecorum jurisprudentia affirmari posit; scilicet dubitatum fuit inter viros doctos, fuerintne quidem Athenis, qui juris disciplinae peculiariter se addicerent, et tamquam ICti consulentibus de jure responderent (1).

Quo

(1) Affirmat PETITUS, *de Legib. Attic. praef. p. 11.*

No-

Quo magis autem peculiaris ratio ICti, qualem eum Romae adumbravit Cicero, cognoscatur, quid de Atheniensium ICtis existimandum sit quaerendum videtur.

Fuerunt omnino Athenis, qui aliis consilium expetentibus, de eo quid agendum esset, praecepta et consilia dare non denegarent. Hi tamen vere ICtorum nomen mereri vix videntur. Petitus quidem, praesertim ex loco quodam Demosthenis (1), aliisque quibusdam argumentis efficere conatur, ἐξηγητὴν Graecis dictum fuisse *prudentem, qui consulentibus de jure responderet*, sed quidquid afferat, quidquid moneant ad Demosthenis l. c. et alibi scholiastae, dicentes: „ ἐξηγηταὶ εἰσιν οἱ τοὺς νόμους τοῖς ἀγνοοῦσιν ὑφηγοῦντες καὶ διδάσκοντες περὶ τοῦ ἀδικήματος" (2), vetat nos et Rhunkenii et Hemsterhusii auctoritas, quominus ἐξηγητὴν pro *vero ICto* habeamus. Docent enim hi, ἐξηγητὴν apud Athenienses semper

Negantium sententiae favet Celeb. RHUNKENIUS eximiâ notâ *ad* TIMAEI *lexicon*, voce ἐξηγηταί, ubi virum cll. HEMSTERHUSIUM RHUNKENIUS secutus est.

(1) *Orat. adv. Euergetem et Mnesibulum, p.* 687. *seq. Edit. Wolfianae.*

(2) Cf. SUIDAS, *Etymol. M. p.* 342, 19. alis vide in nota RHUNKENII *cit.* Add. PLATO, *Eutyphr. p.* 356. *Edit. Bekker.*

per significare *interpretem religionum*, et sic etiam hanc vocem interpretandam esse in locis Platonis ac Demosthenis citatis; ibi scilicet causam caedis agi, eamque ad religiones sacrorumque ritus pertinentem, ideo ad religionis interpretes delatam esse. Peculiaris itaque Athenis non fuit disciplina, quae jure condendo et interpretando contineretur. Fuerint, qui juris civilis notitia quadam, usu fori comparata, valentes, quid juberent leges, quid vero vetarent consulentibus responderent, infimi homines, πραγματικοὶ (1); sed plane ab iis differunt illi, qui sacrorum ministri, causam juris cum religione conjungebant: tuto enim hoc affirmare posse videmur ex Plutarcho (2), qui, postquam narravit, quaenam egerit Theseus, ut Atheniensium rempublicam ordinaret, tandem subjicit, ipsum „ Εὐπατρίδαις dedisse „ γινώσκειν τὰ θεῖα, καὶ παρέχειν ἄρχοντας, καὶ „ νόμων διδασκάλους εἶναι καὶ ὁσίων καὶ ἱερῶν Ἐξη- „ γητάς." Sic juris et legum magistri iidem erant sacrarum et religiosarum rerum interpretes.

Quodsi sic Athenis propria sua ratio juri civili et jurisprudentiae non constiterit, longe alia

(1) Cicero *I. de Orat.* 45, 59.
(2) *Theseo*, c. 25.

alia fuit Romae hujus disciplinae conditio. Hac in urbe exstitarunt primum, qui jus civile conderent, quique propterea summo haberentur a civibus suis et honore et existimatione. Sed de horum dignitate et disciplina universe exposuerunt alii; quaenam hac de re Ciceronis fuerit sententia, jam nostrum est investigare.

Putarunt multi Ciceronem scriptis suis numquam adumbrasse imaginem ICti ejusmodi, qualem eum perfectum, numerisque suis absolutum dicere possimus; ipsum scilicet in jurisprudentibus philosophiam magis spectasse, jurisque tractandi et explicandi rationem mera aequitate nitentem; juris vero civilis scientiam accuratam, bono et verae notae ICto adeo necessariam, minus curasse. Et sane neque philosophia, neque aequi honestique sensu ICtus carere debet; sed his solis non ita continetur ICti imago, ut haec si adsint, absoluta dici illa possit. Alii contra adeo strictis legum verbis, et juri civili scripto adhaerendum esse existimarunt, ut nulla ICto philosophiae, historiae aut antiquitatis cognitione opus videretur.

Sed horum neutri Ciceronis sententiam hac in causa assecuti videntur. Quae separant illi, in

in eorum conjunctione veram ICti praestantiam reperire sibi visus est Cicero. Videamus igitur, quomodo hic cum philosophia juris studium conjungendum censuerit, ut pateat quid de juris arte et scientia existimaverit. Inquiramus porro quomodo eloquentiam ICto necessariam putaverit, ut respondere, in foro versari, et verba facere idem ICtus possit. Tunc aut fallor aut perspiciemus, non hanc illamve dotem ICtis, prae ceteris, a Cicerone tribui, imo vero eum, in hac ipsa harum dotium conjunctione veri ICti imaginem sibi informasse.

De philosophiae et jurisprudentiae conjunctione, ex sententia Ciceronis.

Ut praeclaros inter philosophos primo loco habendus est Cicero, sic maximi ipse faciebat philosophiam, quam nunquam omnium artium laudatarum procreatricem et quasi parentem celebrabat (1). Mirum igitur non est, ipsum statuisse, veram et ingenuam juris scientiam, nisi philosophiae adesset studium comparari non

(1) *L. de Orat.* 3.

non posse. Omnes etenim ingenuas artes uno quodam societatis vinculo contineri cum Platone professus est Cicero, quum dicit: „ Ubi perspecta vis est rationis ejus, qua causae rerum atque exitus cognoscuntur, mirus quidam omnium quasi consensus doctrinarum concentusque reperitur " (1).

Quodsi accurata omnino et absoluta ipsius juris civilis, legum, verborum fere scientia ICris prorsus necessaria sit, ut eorum prudentiam experientibus justa consilia dare, suoque munere recte fungi possint, haud tamen, si non nisi hac praestent, veri, ex Ciceronis sententia, Jurisconsulti erunt dicendi. Noster enim, quo magis sibi caveret ab iis, qui leges omnes tantummodo ex litteris verbisque explicandas arbitrantur, limitibus plane regiis ICti provinciam descripsit, et neminem juris vere consultum fieri, ipsum jus bene nosse, tenere, explicare posse statuebat, nisi, rationis et philosophiae lumine admoto, in legum causas et originem inquisivisset.

Scripserat de Republica libros Cicero, sed Platonis ad exemplum (2) leges jam conscribit civitati, quam effinxerat, accommodatas (3). Ex

(1) *III. de Orat.* 6. (2) *I. de Legib.* 5. (3) *Ibidem.* 6.

Ex his de legibus libris optime potest existimari, quid de philosophiae cum juris scientia conjunctione, censuerit. Ibi scilicet, cum Quinto fratre et amico Attico disputans, aperte significat valde exiguum se ducere munus ICtorum eorum, qui ditionem suam sola juris civilis notitia absolvi putent, et libellis de stillicidiorum ac parietum jure conficiendis, describendis stipulationum ac judiciorum formulis optime se suo munere fungi arbitrentur (1). Hi, in verbis tantum singulisque fere litteris juris scientiam positam putantes, non nisi ex scripto jus populo interpretari ac respondere solent. Hos autem magna professos, sed in parvis versari vere affirmat (2). Alia vult longe majora. Inquirendum esse profitetur in juris originem et fontes; inde legum repetenda primordia (3). Hac disputatione totam causam universi juris ac legum egregie complectitur Cicero, ut hoc, civile quod dicimus, in parvum quemdam et angustum locum concludat naturae Vero ICto alte et a capite, jus civile repetendum dicebat, ab ipsa natura juris ducenda origo.

In hunc fontem legum et juris qui inquirit, at-

(1) *I. de Legib.* 4. (2) *Ibidem. c.* 44.
(3) *Ibidem. c.* 5.

attendat primum: „quid sit homini tributum natura, quantam vim optimarum rerum mens humana contineat, cujus muneris colendi efficiendique causa nati et in lucem editi sumus, quae sit conjunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos" (1). Sic philosophiam ICtis commendavit, cujus ope ad veram tandem juris cognitionem tenderent. Et perspexit vere Cicero, sic demum e philosophia veram cognosci naturam officiorum, quae aliis debent alii; et sic unice, quae jura homini inhaereant, rite teneri posse.

Ex iis quoque, qui gentibus leges scripserunt, ii celebrantur praesertim, qui leges suas darent, hominum naturae maxime convenientes. Quodsi haec habetur summa legislatoria laus, nonne veri etiam germanique ICti erit egregia dos, quem legislator finem spectaverit, eundem et ipse investigare, et legum, quantum fieri potest, veram sententiam, ex iis principiis indagatam, exponere aliisque communicare. Quorum omnium vix aliquid, sine philosophiae lumine, haberi potest. Philosophiae tantum ope vere hominis cognoscitur natura; philosophia duce in intimas mentis humanae penetratur recessus; philosophiae luce collustra-

(1) *L. de Legib.* 5.

trantur, quae dubia et incerta habebantur antea. Legum igitur capita et fundamenta investiganda sunt, inquirendum in juris originem et veram causam. Sic demum fiet, ut ne in formulis haerentes, syllabas aucupantes, atque jus omne in verbis ponentes, humi repamus, et ne aspicemur quidem, quae sit vera juris natura et auctoritas (1).

Fontem igitur ipsius juris adit Cicero (2). Adscendere oportet ad primam legem sive „rationem summam, insitam in natura, quae jubet ea quae facienda sunt prohibetque contraria" (3), quaeque est „naturae vis, et mens ratioque prudentis (4), quae saeculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas constituta, — quae non modo senior est quam aetas populorum et civitatum, sed aequalis illius coelum atque terras tuentis et regentis Dei" (5).

Ita quidem cum natura leges et jura cohaerent. Homines quasi muneribus Deorum instructos et ornatos videbat Cicero, inter quae cum nihil sit ratione melius, eaque et in homi-

(1) Quod vere et eleganter notat WYTTENBACHIUS, *Orat. de Phil. auct. Cicer. laud. art. omn. prec. et quasi par p.* 17.

(2) *I. de Legib.* 6. (3) *Ibidem c.* 6, 15. *II. de Legib.* 4.

(4) *I. de Legib.* 6. (5) *II. de Legib.* 4.

mine et in Deo sit, primam dicebat homini cum Deo rationis esse societatem. Inter quos autem ratio, inter eosdem quoque recta ratio communis habetur, quae cum sit lex, lege quoque consociatos homines cum Diis putabat (1). Cum vero nihil tam simile, tam par quam homines inter se ipsos videret, animadvertebat porro, unam esse hominum parem communemque vivendi rationem (2); sic omnes inter se, tum naturali quadam indulgentia et benivolentia, tum etiam societate juris contineri, omnesque ad participandum alium ab alio, communicandumque inter omnes jus, natura esse factos (3). His bene constitutis et diligenter exploratis principiis, quasi fundamentis, juris civilis disciplinam inniti putabat. Sic jus non populorum unice institutis aut legibus debetur, justitia non erit scriptis tantum obtemperare legibus, aut principum decreta, populorum jussa exseqni; verum ipsa natura confirmatum est jus, quod lege nulla tolli potest deinceps. „ Si populorum jussis, si principum decretis, si sententiis judicum jura constituerentur

(1) *l. de Legib.* 7, 8, 9. *cf. etiam. c.* 13. *ejusdem libri.*

(2) *Ibidem. c.* 10. *coll.* 13. (3) *Ibidem. c.* 12.

rentur, jus esset latrocinari, jus, adulterare, jus, testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur (1). Si vero poena, si metus supplicii, non ipsa turpitudo, deterret ab injuriosa facinorosaque vita, nemo est injustus, aut incauti habendi sunt improbi. Tum autem, qui non ipso honesto movemur ut boni viri simus, sed utilitate aliqua atque fructu, callidi sumus, non boni (2). Si natura confirmatum jus non erit, virtutes omnes tollentur. Ubi enim liberalitas, ubi patriae caritas, ubi aut bene merendi de altero, aut referendae gratiae voluntas poterit existere? Nam haec nascuntur ex eo, quod natura propensi sumus ad diligendos homines: quod fundamentum juris est" (3).

A natura sic fundamentum juris repetitur, et ista duce, errari nullo modo potest (4). Sic demum recte ac tuto affirmare Cicero ausus est: „omnium quae in hominum doctorum disputatione versantur, nihil est profecto praestabilius, quam plane intelligi, nos ad justitiam esse natos, neque opinione sed natura constitutum esse jus." (5).

Quae

(1) *I. de Legib.* 16. (2) *Ibidem. c.* 14. (3) *Ibidem c.* 15. (4) *Ibidem. c.* 6. (5) *Ibidem. c.* 10.

Quae hactenus e Cicerone adduximus, probant satis, ni fallor, quam arctam censuerit esse inter philosophiam et juris disciplinam conjunctionem. Pleni sunt disputationum de hoc ipso argumento ejus de Legibus libri, e quibus praecipua quaedam delibavimus. Tanta autem egregia in iis deprehendimus, ut difficile fuerit nonnunquam, rite nobiscum constituere, quae ad propositum nostrum praesertim spectarent. Doctrina profecto et placita, quae in iis libris deprehendimus, non possunt non lectorem aequi et justi amore incendere, boni pulcrique sensu imbuere.

Non est ab hoc loco alienum, paucis observare, quomodo ipsa jurisprudentiae historia Ciceronis de juris et philosophiae conjunctione sententiam confirmet. Dici enim vix potest, quanta incrementum ceperit juris ars, ab eo inde tempore, quo primum, Carneade, Critolao et Diogene maxime auctoribus, Graecorum philosophia Romanis innotescere coepit (1). Sed tum demum ad vigorem accessit, Romae, juris dis-

(1) Quaenam Graecae philosophiae in Jurisprudentiam Romanam, libera republica, efficacia fuerit docet Cons. FRETS, *over het gezag der regtsgeleerden bij de Romeinen, enz. pag.* 14 — 19.

disciplina, quum Panaetius ICtorum Romanorum primoribus egregius exsisteret Graecae philosophiae magister, et Cicero, vel quid optimi quique Graecorum philosophi docuerant, cum civibus suis communicaret, vel suae ipsius philosophiae placita traderet. Tunc et ipse Cicero, causis in foro agendis, et Servius Sulpicius, consulentibus de jure respondendo, ipso facto probaverunt, quantae sit in juris disciplinam efficaciae philosophia. Et professi sunt adeo philosophiam ICti paene omnes, Stoïcorum sectae se addicentes.

Hac igitur philosophiae cum jurisprudentia conjunctione vera spectatur ICtorum Romanorum praestantia. Neque mirabimur sic, contendisse aliquando Ciceronem, non a praetoris edicto, neque a XII tabulis, sed penitus ex intima philosophia hauriendam esse iuris disciplinam (1); complectendam causam universi juris ac legum; naturam juris explicandam, eamque ab hominis repetendam natura (2).

(1) *I. de Legib.* 5. (2) *Eadem.*

Qua-

Qualem in vero ICto juris artem et scientiam Cicero haberi voluerit.

Vidimus de philosophia ICto, ex Ciceronis sententia, necessaria; inquiramus jam, qualem sibi efformaverit juris artem et scientiam.

Jurisprudentia cum Romae universe, tum Ciceroni praesertim, principi habebatur inter disciplinas loco. Sic fiebat, ut adolescentes, generis nobilitate et ingenii dotibus conspicui, ad ICtos diducerentur, viros prudentia et doctrina excellentes, qui teneros juvenum animos virtutis amore et justi studio imbuerent. In philosophorum consortio Graecorum versabantur juvenes, ut optimarum quarumcunque rerum studia in iis alerentur. Sophistae per urbem procedebant choro stipati juvenum Socratem nulli non expetebant adolescentes, qui sciendi cognoscendique ferebantur studio. Romae non philosophos adeo, sed ICtos adierunt adolescentes (1). Quem locum igitur Graeci philosophiae tribuerant, eum jam Jurisprudentiae assignabant Romani.

ti-

(1) *Orat. c.* 41.

Adolescentium esse affirmat Cicero (1), optimos quosque et probatissimos sibi deligere viros, quorum consilio atque auctoritate nitantur. Horum familiaritate utentes sapientiae praeceptis ac virtutis amore imbuuntur (2). Sic demum se civibus suis gratos acceptosque futuros esse confidere poterant, si eorum se similes reddere conarentur, eosque sibi imitandos proponerent, quorum praeceptis usi essent (3). P. Rutilii adolescentiam ad opinionem et innocentiae et juris scientiae P. Mucii dicitur commendasse domus (4). Et sane quantum hujusmodi cum optimis quibusque consuetudo juvenibus prodesse soleret ad eos excolendos aliisque commendandos, intelligi maxime potest ex Oratione pro M. Coelio (5). Hujus enim mores contra Atratini accusationem defendens Cicero, postquam primum patris laudaverat diligentiam et disciplinam, qui M. Coelium, statim ut ei virilem togam dederat, ad Ciceronem diduxerit, hoc quasi firmissimum defensionis fundamentum, et simul in laudem et commendationem ipsius juvenis affert: „Nemo hunc M. Coelium in illo aetatis flore vidit nisi aut cum patre aut mecum, aut in M. Crassi

cas-

(1) *I. de Offic.* 34. (2) *de Senect.* 8.
(3) *II. de Offic.* 13. (4) *Eodem.* (5) c. 4.

castissima domo, cum artibus honestissimis erudiretur" (1). Quanta autem in M. Crasso fuerit Jurisprudentiae et Eloquentiae laus, intelligitur vel maxime ex Ciceronis libris de Oratore.

Tanta cum tribueretur ICtis et iis qui dicendi artem profitebantur, Oratoribus, ad virtutem efficacia, mirum non est auctorem dialogi de causis corruptae eloquentiae (2), inter caussas illas etiam hanc recensere, quod cessasset mos juvenes ad viros probatissimos et honestissimos diducendi. Nullam enim rem magis animis honesta indnere, dubiosque et in pravum inclinabiles revocare ad rectum quam bonorum virorum conversationem, recte affirmat Seneca (3).

Quodsi cuivis ad vitam bene degendam jurisprudentia opus esse censeretur, et omnes idcirco ad ICtos diducerentur, qui aliquando praecipuo quodem loco in republica habendi essent, intelligitur facile Ciceronis sententia, juris proprie sic dicti cognitionem a ICto abesse plane non posse. Videamus qualem in primo de Oratore libro juris scientiam in ICto haberi Cicero voluerit.

Oc-

(1) *l. c.* (2) *c.* 34. (3) *Epist.* 94. §. 40.

Occurrit ibi Jurisconsulti descriptio, quae, etiamsi eam proponit Antonius, quin sit e sententia Ciceronis, minime dubitandum est. In iis enim, quae ad perfecti Oratoris formam adumbrandam pertinent, Quinti quidem fratris partes agere Antonium, et ipse Cicero affirmat (1), et disputationis ratio docet; caeteris vero, quae extra dictam controversiam, de aliis quibusvis, ad disputationem ornandam apposita, dicantur, ipsius Ciceronis contineri sententiam ostenderunt alii (2).

ICtus itaque, qualem eum eo loco describit Cicero, dicitur is „ *qui legum et consuetudinis ejus, qua privati in civitate utuntur, et ad respondendum, et ad agendum, et ad cavendum peritus est*" (3). Quo melius autem Ciceronis sententia percipiatur, observamus eum hoc loco spectasse juris civilis tantum interpretem; cum legum atque consuetudinis, qua utitur civitas, cognitionem, inter primarias ICti dotes recensuisse, et juris et legum peritiam eam intellexisse, quae non verbis legum cognos-

(1) *l. de Orat.* 2.
(2) Qui plura vult, conferre potest NAUTA, *de perf. Orat. ex sent. Ciceronis part. I. cap.* 3. *coll. c.* 2. *et* THORBECKE, *de eodem argum. c.* 2. §. 1.
(3) *l. de Orat.* 48.

noscendis absolvatur, sed praestet maxime facultate indagandi mentem et consilia eorum, qui legis fuerunt auctores et conditores.

Fuerunt omni aevo, qui verbis legum haererent atque jus omne in litteris ponerent, ulterius in veram mentem legis inquirere negligentes (1). Dici vix potest, quantum ab eorum ratione abhorruerit Cicero. Versatur maxime pro A. Caecina Oratio in refellendo Aebutio, sui commodi causa, leges et interdicta ex verbis magis, quam ex sententia et voluntate legislatoris interpretante. Jam hac opportunitate egregie ostendit Cicero, quam absurdum hoc sit et vero ICto indignum. Spirat per totam orationem haec ratio, tum eximie etiam habetur capite 18. „ An non, cum voluntas, et consilium, et sententia interdicti intelligatur, impudentiam summam, aut stultitiam singularem putabimus, in verborum errore versari: rem, et causam, et utilitatem communem non relinquere solum, sed etiam prodere? — Quae lex, quod Senatusconsultum, quod magistratus edictum, quod foedus, aut pactio, quod (ut ad privatas res redeam) testamentum: quae judicia, aut stipulationes, aut pac-

(1) *Cf. Orat. pro A. Caecina c.* 28.

pacti et conventi formula non infirmari aut convelli potest, si ad verba rem deflectere velimus: consilium autem eorum, qui scripserunt, et rationem, et auctoritatem relinquamus?" Voluntas enim „ si tacitis nobis intelligi posset, verbis omnino non uteremur: quia non potest; verba reperta sunt, non quae impedirent, sed quae indicarent voluntatem." Quae sic professus est, ea pluribus deinde exemplis confirmat, ex formulis legum civilium vel juris praetorii desumtis, cum et ratio juris, et praetorum voluntas, et hominum prudentum consilium et auctoritas, juris hanc explicandi et sola verba attendendi rationem plane respuant (1). Hac igitur de causa in interpretando et applicando jure, aequitate nihil magis spectandum esse judicat Cicero. Aequitatem in juris interpretatione et scientia tanti fecit, ut in Oratione pro Caecina laudata, C. Aquilium, celeberrimum ICtum, ideo maxime celebraverit, quod „ *juris civilis rationem numquam ab aequitate sejunxerit*," quo factum esset, ut „ *ejus prudentiam populus Romanus in cavendo, non in decipiendo perspexerit*" (2).

Quantopere in jurisperito aequitatem laudan-dam

(1) *Pro Caecina, c. 19. in fine.* (2) c. 2.

dam censuerit, videri quoque potest ex oratione Philippica nona. Legatus scilicet ad Antonium missus erat Servius Sulpicius, ICtus, sed antequam ad illius castra pervenisset, morbo confectus fuit. Agitur nunc de honore, praeclaro huic viro decernendo. Refert ea de re ad senatum Pansa, Consul. Jam Cicero sententiam rogatus profitetur, se quidem judice, Servio Sulpicio et honorem sepulchri decernendum esse, et statuam etiam erigendam. Videbatur enim Serv. Sulpicii vita reliqua multis praeclarisque monumentis ad omnem memoriam esse commendata, sed hac quoque in re ejus virtutem maxime spectari putabat, quod admirabilis ejus et incredibilis ac paene divina fuerit in legibus interpretandis et ex aequitate explicandis scientia. Hanc ob causam omnes, ex omni aetate, qui in civitate Romana prudentiam juris professi sunt, unius Sulpicii laude aequare ei non videbantur, praesertim quoniam hic non juris magis consultus quam justitiae fuerit, omniaque, quae proficiscebantur a legibus et jure civili, semper ad facilitatem et aequitatem retulerit naturalem, neque instinere litium actiones maluerit, quam tollere controversias (1).
Hoc

(1) *Philipp. IX. c. 5.*

Hoc igitur in summis ICti laudibus posuit, quod aequitatis sensu semper praestiterit et eam maxime in jure interpretando adhibuerit.

Sed qualis haec sit jurisperitia, quam in ICto haberi oportere affirmat Cicero, optime intelligitur, si attendimus, eum verae notae ICtos imprimis habuisse Sex. Aelium, M. Manilium, P. Mucium (1), alios, qui quantis laudibus fuerint conspicui, deinceps maxime videbimus, quum de honore et dignitate ICtorum ex Ciceronis sententia dicemus.

At vero de juris peritia, oratori necessaria in libris de oratore praeclare dicit Crassus. Qui accumta juris civilis notitia destituti in forum descenderet, causasque defendere audent, hi vel in ridicula quaevis ruunt et aliis ludibrio habentur, vel saepissime etiam cadunt causis, ea proponere omittentes, quae, si exposita fuissent, causae firmissima evasissent praesidia (2). Quam belle Q. Caecilium exagitat, quod sine recta fori, judiciorum, civilis juris notione et exercitatione, accusationem in Verrem movere ausus fuerit (3). Ex in ipsum hunc Verrem gravissime invehitur, quoniam in edicto, quod in

(1) *II. de Offic.* 13. *VII. ad Famil.* 22. *I. de Orat.* 48.
(2) *I. de Orat.* 37, 38, 39, 40. (3) *Divinat.* 11, 12, 13.

in L. Annii causa edixerat, contra jus civile peccaverat (1). „ Haec igitur et horum similia jura suae civitatis ignorantem, erectum et celsum, alacri et prompto ore ac vultu, huc atque illuc intuentem, vagari magna cum caterva toto foro, praesidium clientibus atque opem amicis, et prope cunctis civibus lucem ingenii et consilii sui porrigentem atque tendentem, nonne inprimis flagitiosum putandum est" (2). Sic qui Jureconsultum se profitetur, qui de jure haesitantibus se responsurum promittit, qui oratoribus vel patronis diligentibus, ad ipsius prudentiam confugientibus, hastas subministrabit, ei profecto scientiam, a cujus professione nomen tenet, ignorare non licebit. Cicero vero quoties quis artem quandam aut doctrinam profiteretur, absolutam illam perfectamque esse oportere censebat „vis enim et natura rei, nisi perfecta ante oculos ponitur, qualis et quanta sit, intelligi non potest" (3); hac de causa juris vere consultum neminem dici posse existimabat, nisi qui, non hanc illamve jurisprudentiae partem, sed totam disciplinam, ex ejus principiis petitam, bene teneat.

Erat

(1) *Act. in Verrem II. lib. I. c.* 41, 42.
(2) *I. de Orat.* 40. coll. etiam ejusdem libri c. 34, 37, 38. *Brute c.* 39.
(3) *III. de Orat.* 22.

C

Erat cum juris hacce peritia conjuncta patriae et antiquitatis sanctissima veneratio. Antiquitatem noscere nullus non debebat juris vere consultus: „ Patriae nobis mens, mos, disciplina nota esse debet; vel quia est patria, parens omnium nostrum, vel quia tanta sapientia fuisse in jure constituendo putanda est, quanta fuit in his tantis opibus imperii comparandis" (1). Neque mirum est, historiae atque antiquitatis notitiam, Jurisconsulto necessariam existimasse Ciceronem. Ita enim ex civium moribus, institutis publicis, rebus et temporibus universe, optime cognoscuntur opportunitates, quibus factum est ut haec illave lex condenda videretur, sine qua cognitione, vera juris ratio et Jurisconditorum consilia saepissime latent. Sic juris Romani cognoscendi subsidium maximum ex historia ejusdem juris peti potest.

Quodsi non nisi antiquitatis notitia instructus, ad artem juris addiscendam quis rite accederet, ita, qui juris studio se dabat, non civili tantum, sed et sacro seu pontificio juri operam dare debebat (2). Et erat sane juris hujus Pontificii intima cum jure civili conjunctio. Prouti se-

(1) *I. de Orat.* 44. (2) *III. de Orat.* 33.

secundo de Legibus libro (1) affirmabat Mucius Scaevola, Pontificem neminem esse bonum, nisi qui jus civile cognosset, sic juris pontificii notitia a probo bonaeque notae ICto abesse non debebat. Gloriatur Brutus (2), se jus Pontificium, qua ex parte cum jure civili conjunctum esset, a Servio Sulpicio ICto didicisse. Et vero propter summam hanc juris pontificii cum jure civili necessitudinem, ipsam jurisprudentiam *divinarum atque humanarum rerum notitiam, justi atque injusti scientiam*, vocavit Ulpianus (3). Jus Pontificium, a Numa primum constitutum (4), magnam partem tamen Pontificum auctoritate auctum est deinceps (5), quum decreta sua atque sententias omnes in commentarios referrent (6), iisque cum de aliis argumentis, tum de votis, feriis, sepulcris, aliisque ritibus, praecepta legum traderent (7). Multi quoque ritus et solemnitates juris civilis e sacris erant petiti, quocirca eorum vera origo et ratio ex sa-

(1) *c.* 19. (2) *Brut. c.* 42.

(3) *l.* 10. §. 2. *D. de Just. et Jur.* Conf. v. BYNKERSH. *de cultu relig. pereg. ap. Rom. diss.* 1.

(4) LIVIUS *l. I. c.* 20. (5) *Pro Domo* 14.

(6) *Brut.* 14. *coll. II. de Orat.* 12.

(7) *Pro Domo*, *c. cit. de Legib. II. c.* 19, 20, 21. SENECA, *Epist.* 108.

sacris demum legibus cognosci poterat. Pertinent eo antiqui ac solemnes ritus matrimonii, manumissionis, mancipationis, reliqui. Quantum vero juris pontificii peritia ICtis saepe prodesset, vel unica docet Oratio, quam pro domo sua, ad pontifices habuit Cicero. Domum suam videbat eadem lege publicatam et eversam, deinde, ne profana umquam fieri posset, Libertati consecratam. Hanc neque publicari neque consecrari potuisse demonstravit, et in hac probatione summam ipse juris pontificii peritiam ostendit, adeo ut illud sibi penitus perscrutatum atque exploratum habuisse debeat (1).

Ciceronis jam tempore, cognitio juris satis ardua censebatur ac difficilis; sed tantae ea erat utilitatis, praestantiae tantae, ut ad juris universi, et XII praesertim tabularum studium alacriter accederetur: „ex his enim et dignitatem maxime expetendam videmus, cum verus, justus, atque honestus labor honoribus, praemiis, splendore decoratur; vitia autem hominum atque fraudes, damnis, ignominiis, vincu-

(1) Quod tum ex tota oratione videre est, tum imprimis etiam ex *c.* 14 *et* 47. *cum. seq.* conf. etiam *II. de Legib.* 6. *c* 8. et passim.

culis, verberibus, exsilio, morte multantur: et docemur non infinitis, concertationumque plenis disputationibus, sed auctoritate, nutuque legum domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere" (1). Neque tamen tanta difficultate hujus disciplinae scientia comparatur, ut ne recte addisci possit extimescendum sit. Audiamus, hac in causa, ipsum Ciceronem, ita sententiam prodentem: „ At si quaeris, Catule, de doctrina ista, quid ego sentiam, non tantum ingenioso homini, et ei, qui forum, qui curiam, qui rempublicam spectet, opus esse arbitror temporis, quantum sibi ii sumserunt, quos discentes vita defecit. Omnes enim artes aliter ab iis tractantur, qui eas ad usum transferunt: aliter ab iis, qui ipsarum artium tractatu delectati, nihil in vita sunt aliud acturi" (2). Potest igitur quis juris disciplinam probe addiscere, et simul, agendo, respondendo, scribendo, cavendo civibus suis prodesse. Nam juris studio a rebus gerundis abduci contra officium est: „ Virtutis enim laus omnis in actione consistit: a qua tamen fit saepe intermissio, mul-ti-

(1) *I, de Orat.* 43. (2) *III, de Orat.* 23.

tique dantur ad studia reditus; tum agitatio mentis, quae numquam acquiescit, potest nos in studiis cogitationis, etiam sine opera nostra, continere" (1).

Tanti igitur juris scientiam fecit Cicero. Qui autem jus civile contemnendum putet, eum vincula omnium non modo judiciorum divellere statuit, sed etiam utilitatis vitaeque communis. Praeclarus est locus in Orat. pro Caecina. „Nihil est in civitate tam diligenter, quam jus civile, retinendum. Etenim, hoc sublato, nihil est, quare exploratum cuique possit esse, quid suum, aut quid alienum sit: nihil est quod aequabile inter omnes, atque unum omnibus esse possit (2). Quod enim est jus civile? quod neque inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia possit: quod si non modo oppressum, sed etiam desertum aut negligentius adservatum erit; nihil est quod quisquam se habere certum, aut a patre acceptum, aut relicturum libris arbitretur" (3). Ad quam egregiam, et vere Cicerone dignam sententiam, magis etiam confirmandam, non possum non hoc loco laudes adscribere, quibus Legum vim atque praestantiam celebrat Cicero, in Oratione pro

(1) *I. de Off.* 6. (2) c. 25. (3) c. 26.

pro Cluentio (1): „Tu mihi concedas necesse est, valde esse indignum, in ea civitate, quae legibus teneatur, discedi a legibus. Hoc enim vinculum est hujus dignitatis, qua fruimur in republica, hoc fundamentum libertatis, hic fons aequitatis. Mens, et animus, et consilium, et sententia civitatis, posita est in legibus. Ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege, suis partibus, ut nervis, ac sanguine, et membris, uti non potest. Legum ministri, magistratus: legum interpretes, judices: legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus."

Sed juris civilis *scientiam et usum* distinxerunt Romani ab egregia, quam dicerent, *juris arte*. Inter praecipuas causas, quare juris cognitio plerisque magna ac difficilis videretur, hanc praesertim recenset Cicero, quod nulli fuerint, qui juris praecepta in unam quamdam disciplinam redigerent, ita ut, singulis suus atque peculiaris locus esset assignatus. „Nihil est enim quod ad artem redigi possit, nisi ille prius, qui illa tenet, quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam, ut ex iis

(1) c. 53.

iis rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit" (1). Ut autem sic juris ars quaedam constituatur, extrinsecus, ex philosophorum suppellectili, petendam eam esse affirmat. Haec ars dispersas dissolutasque juris partes in consonantiam quamdam rediget, ea demum poterit „ rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa dijudicentur, et quae, quibus positis, sint, quaeque non sint consequentia" (2). Eximiam hanc artem, quae lucem affunderet iis, quae confuse ab aliis aut respondebantur, aut agebantur, primus ad juris scientiam adtulisse dicitur Sulpicius (3). Sic qui ad juris artem tendit, hic rite teneat, juris civilis summum esse propositum, legitimae atque usitatae in rebus causisque civium aequabilitatis conservationem (4). „Hic omne jus civile in genera digerat, quae perpauca sunt; deinde eorum generum quasi quaedam membra dispertiat; tum propiam cujusque vim de-

(1) *l. de Orat.* 41.
(2) *Brut. c.* 41.
(3) *Ibidem.*
(4) *Topic.* 2.

definitione declaret; sic perfectam artem juris civilis habebitis, magis magnam atque uberem, quam difficilem atque obscuram" (1).

Usu et scientia multi, arte vero pauci praestare Ciceroni dicuntur. In his autem primo loco Serv. Sulpicium nominavit. Ad hanc artem juris probe addiscendam, contendunt oportet, qui juris studio aliquando se dederunt.

Monendum quoque Cicero duxit, ne, qui juris studio se tradunt, nimium studium, nimiumque conferant operam in res obscuras atque difficiles, easque non necessarias (2). In secundo de Legibus libro maxime improbantur ICti „ qui, sive erroris objiciendi causa, quo plura et difficiliora scire videantur, sive, quod similius veri est, ignoratione docendi, saepe, quod positum est in una cogitatione, id in infinita dispartiuntur" (3). Sic enim ipsas, quas defendere vel explicare cupiunt, causas aut res, ambagibus multo majoribus involvunt, intellectuque reddunt difficiliores, ac magis sibi aut clientibus nocent quam prosunt. Vere igitur jurisconsulto non juris tantum scientia sufficere videtur, non juris tantum ars, sed ejus do-

(1) *L. de Orat.* 42. (2) *L. de Offic.* 6. (3) *c.* 19.

docendi et explicandi apta etiam ratione opus est: „ nam non solum scire aliquid artis est, sed quaedam ars est etiam docendi" (1).

Haec si fuerit Ciceronis sententia de Jurisprudentiae praestantia ejusque addiscendae utilitate, si de jurisprudentia, una cum caeteris Romanis, tam praeclare existimaverit, mirum non est, eam eximiis aliquando laudibus ab ipso fuisse ornatam, quum, juris civilis studium Oratori necessarium affirmans, palam de Legibus XII. tabb. pronunciet: „ Fremant omnes licet: dicam quod sentio: bibliothecas mehercule omnium philosophorum, unus mihi videtur XII tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare" (2).

Eloquentia, Cicerone judice, Jurisconsulto necessaria.

Vidimus hactenus, philosophiam ex Ciceronis sententia admoveri debere ad juris studium, quod accurata contineatur ipsarum legum et juris in civitate constituti notitia. Sed hanc, quam

(1) *II. de Legib.* 19. (2) *I. de Orat.* 44.

quam studio et labore sibi acquisivit ICtus, scientiam, in usum diducere et ad causas vitae civilis applicare debet. Ne itaque inter parietes lateat, sed in forum, in publicum procedat causarum patronus, justitiae acerrimus vindex. Quodsi vero in foro feliciter in usum diducturus sit scientiam, quam e philosophia et juris civilis studio sibi comparavit, opus est ut eloquentiae valeat facultate, qua arte, tanquam juris ministra, utatur ad justitiam et aequitatem rite tuendam.

Non fuit a primis inde republicae temporibus conjuncta semper juris disciplina cum eloquentiae facultate. Habebantur Oratores, qui juris scientia parum valentes, de eo jure, de quo ambigebatur, ICtos interrogabant, a quibus cum amentatas hastas accepissent, ipsi oratoriis eas lacertis viribusque torquebant (1). Sic ICti ipsi causas vix agebant in foro, potius in jure interpretando versabantur, et de jure respondebant (2). Sed quantopere dein Roma-

(1) *Topic.* 17. *I. de Orat.* 57.

(2) *Topic.* 17. *I. de Legib.* 3. *L.* 2. §. 47. *D. de O. I.* Cf. etiam HEINECC. *Ant. Rom. l.* 1. *tit.* 2. §. 32. *seqq.* BACHIUS *Hist. Jurispr. Rom. l.* 2. *c.* 2. *S.* 4.

manis ipsis improbata fuerit haec jurisprudentiae ab eloquentiae separatio, satis intelligimus, si Ciceronem audimus, de Graecorum hac in causa moribus disputantem: „ Apud Graecos infimi homines, mercedula adducti, ministros se praebent, in judiciis, Oratoribus, ii, qui apud illos πραγματικοὶ vocantur" (1). De iisdem Antonius paullo post: „ Itaque illi disertissimi homines ministros habent in causis jurisperitos, cum ipsi sint imperitissimi, et qui abs te, ut paullo ante dictum est, pragmatici vocantur" (2). Alia itaque omnia deinde Romae reperies. Dicere coeperunt ICti et ad populum et ad senatum. Causas recitarunt ad judices. Sic eloquentiae laude floruerunt jurisconsulti, et multi propter hanc dicendi egregiam vim *disertissimi* vocati sunt (3). Prout vero existimabat Cicero, non posse aliquem ante causas amicorum tractare, atque agere, quam jus civile didicerat, sic affirmavit pariter, neminem in jure civili satis facere posse, nisi qui dicendi copiam assumsisset (4).

Di-

(1) *I. de Orat.* 45. (2) *Ibidem c.* 59.

(3) VAN BYNKERSH. *Observ. Jur. Rom. VIII. c.* 6.

(4) *I. de Orat.* 37.

Dixit aliquando Cicero, artem oratoriam omnium civilium artium ac forensium plurimum laudis habere et gratiae (1). Constat vero, jurisprudentiam pariter summo loco habitam fuisse, et Romanis universe et ipsi Ciceroni (2). Sic mirum non est, eum demum vere praestantem jurisconsultum ipsi visum fuisse, qui utriusque artis conjunctione esset spectabilis. Neque alius sane potiori jure eloquentiam commendare poterat, quam is, cujus eloquentiae plus Roma debuisse dicebatur, quam complurium imperatorum victoriis atque triumphis (3). Ubique summa laude a Cicerone elatos videbis, qui cum jurisperitia eloquentiae artem conjunxerint. Tertio de Oratore libro reprehendit eos, qui disciplinarum veras partes nimium a se invicem divellerent, vinculum non attendentes satis, quod varias inter disciplinas intercederet. Jam huc eos etiam refert, qui a juris scientia dicendi artem sejungerent. Maxime vero laudat M. Catonem, qui in utro-

(1) *De Orat. l. c. II. de Offic.* 19. *Bruto.* 41 et passim. Cf. *Orat.* c. 41, 42.

(2) *II. de Offic.* 19 *Brut.* 42. *Orat.* 41.

(3) Schulting *de Jurispr. Ciceronis*, p. 246.

utroque genere multum praestitit (1). In libro autem de claris Oratoribus, summa laude Scaevolam egregium jurisconsultum nominat, quod magna eloquendi vi valeret, eum *jurisperitorum* vocans *eloquentissimum* (2), quo viro nihil in civitate Romana esse praestantius paulo post affirmat (3). Valde etiam Servius Sulpicius laudatur, quod tantum studii ad dicendum adhibuerit, tantumque eloquentiae assumserit, ut jus civile facile possat tueri (4). Etiamsi igitur Jurisconsultos cum Oratoribus minime commiscuerit Cicero, voluit tamen, ut eloquentia tamquam communi quodam bono valerent utrique (5), „ cum juris scientia auxilium ab eloquentia saepe peteret, ea vero repugnante, vix suas regiones finesque defenderet" (6).

Quae autem de eloquentia ICto necessaria diximus, non illam spectant eloquentiam, quae de omni quacunque re prudenter et composite et ornate eloquendi facultas dicitur. Hanc Ora-

(1) *I. de Orat.* 33. (2) *c.* 39. (3) *c.* 40.

(4) *Brut. l. c. et cap.* 42.

(5) Quod recte etiam observat THORBACAE, *Comm. laud. p.* 174.

(6) *Orator. c.* 41. coll. *pro Murena.* 13.

Oratori magis propriam duxit Cicero (1). Cum jurisprudentia conjungendam potius censuit eam dicendi facultatem, quae in quibusvis rebus adhibetur, et qua res, quas exponere cupimus, ita dicuntur, ut percommodae sint ad persuasionem (2).

Quae quantaque sit universe Eloquentiae vis, ac praestantia, efficitur optime ex Crassi laudatione, quae habetur de Oratore L. c. 8: „ Neque vero mihi quidquam praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit: unde autem velit diducere. Haec una res in omni libero populo, maximeque in pacatis, tranquillisque civitatibus, praecipue semper floruit, semperque dominata est." Egregia sunt quae porro sequuntur, sed inprimis jurisconsulto probabitur Eloquentiae praestantia, si Crassi verba attendit, hoc modo Eloquentiam celebrantis: „ Quid tam regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, reti-ne-

(1) *L. de Oratore* 6, 13, 15, 21, 26, 49. *II.* 2. *III.* 19, 20, 21.

(2) De variis eloquentiae significationibus conferri potest THORBECKE, *Comm. cit.* c. 1, §. 5.

nere homines in civitate?" (1). Ubivis fere in libris de Oratore praecepta tradit Cicero, tam jurisconsultis quam oratoribus, ut ad reorum defensionem Eloquentiae artem adhibeant, qua sibi et ei, pro quo verba faciunt, judicum animos concilient. Eximius inprimis exstat hac de re locus de Oratore, II. c. 43. seqq.

Multum quaesitum fuit, utrum recte statuerit Cicero, adhibere Eloquentiam licere, etiam ad defendendos eos, qui, etsi crimen forte aliquod commiserint, nefarii tamen et impii habendi non sunt (2). Humanitatis esse putat Cicero, rem integram hominis non alieni, quamvis suspiciosam, defendere (3), cum hoc velit multitudo, patiatur consuetudo, ferat etiam humanitas; judicis enim esse contendit, semper in causis verum sequi: patroni nonnumquam verisimile, etiamsi minus sit verum, defendere (4). Quod Ciceronis placitum dijudicare cum hujus loci non sit (5), universe tamen affirmare licet, Ciceronem a fraudibus et mala fide in reorum defensione plane abhorruisse: imo eum

(1) *I. de Orat.* 8. (2) *II. de Offic.* 14.
(3) *Pro Cluentio.* 20. (4) *L. de Off. cit.*
(5) Vid. CL. SCHRÖDER, *de redek. voorschrift. van Cicero getoetst*, enz. Werk. d. Holl. Maats. III. p. 473. seqq. et COBB. VAN HALL, *brief aan Schröder.*

eum palam professum esse aliquando, praeter fidem et ingenium, ad clientum causas nihil afferri debere (1). Hoc nomine laudat L. Crassum et M. Antonium, qui sancte semper in caussis tuendis fidem servarunt, monet vero Hortensium, Verris defensorem, ut horum exemplum imitetur (2). Egregium integritatis ac probitatis documentum ipse Cicero praebet. Scamander, Fabricii libertus, de veneficiis erat condemnatus. Adieret Ciceronem Fabricius, petens ut suam caussam susciperet. Sed negavit hic, dicens se rem iudicatam labefactare conari, impudentiae putare (3). Sic igitur si ad justitiam tuendam Eloquentia adhibetur, praeclara ejus vis est, et numquam satis laudanda. Quodsi vero male ad innocentiam opprimendam et tuendos flagitiosos homines quis ea uti possit „ quid est tam inhumanum, quam eloquentiam, a natura ad salutem hominum et ad conservationem datam, ad bonorum pestem perniciemque convertere" (4)?

(1) *Divinatio. c. 8.* (2) *l. l.*
(3) *Pro Cluentio, c. 20.* (4) *II. de Offic. 14.*

Ita sibi Cicero verum jurisconsultum informavit, ut in forum prodire, et de jure respondere, scribere, cavere possit.

Et vidimus quidem ex dictis, quaenam et quanta vero suo jurisconsulto necessaria esse putaverit Cicero. Philosophiae enim usu, aequitatis sensu, juris scientia praeditum, Eloquentiae etiam facultate instructum illum esse oportet, ut causas in foro rite defendere possit. Neque tamen his plene absolvitur illius, e Ciceronis sententia, munus. Illud enim in jurisconsulto, hactenus adumbrato, requirimus etiam, ut aptus sit *ad respondendum*, *scribendum et cavendum*, quibus negotiis, inprimis libera republica, sed et deinde etiam, maximam partem jurisconsultorum Romae continebatur munus, quod nos hodieque practicum dicere solemus.

Jurisprudentia, etiamsi per se valde sit laudabilis et maximae utilitatis, contemplationis tamen finibus circumscripta manere non debet, nam cognitio haec et contemplatio, manca quodammodo est, atque incohata, si nulla actio consequatur. „ Ea autem actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur. Pertinet

(I igi-

igitur ad societatem generis humani. Ergo haec cognitioni anteponenda est: atque id optimus quisque re ipsa ostendit et judicat (1); quibus rebus intelligitur, studiis, officiisque scientiae praeponenda esse officia justitiae, quae pertinent ad hominum utilitatem, qua nihil homini debet esse antiquius" (2).

Lubentissime hac opportunitate adscribo, quae de Romanorum studio vitae civilis atque practicae addere non recusavit Cl. den Tex.

„ Hoc proprium est Romanorum ut maximi „ faciant, quae ad vitam civilem et practicam „ agendam spectant. Quaesiverunt de rebus „ divinis, de coelo, de mundi origine enim „ Orientales, tum Graecorum philosophi „ antiquissimi. Contemplando tantum philoso„ phia continebatur. Et quo magis obstrusa „ et occulta essent, de quibus quaestio in„ stitueretur, argumenta, eo magis placere so„ lebant. Ad vitam communem philosophiam „ deduxisse dictus est Socrates. Morum et „ vitae philosophia exstitit, quae Graecos ad„ verterit plane. Romani autem recipientes „ philosophiam Graecorum, non omnia adsci„ ve-

(1) *L. de Off.* 43. (2) *Ibidem.*

„ verunt, sed ea inprimis, quae suae indoli
„ maxime viderentur consentanea. Scilicet Ro-
„ mani ingenio suo omnia referebant ad mores,
„ ad res politicas, ad vitam civilem. Sic as-
„ sumserunt prae aliis placita Pythagorae,
„ quippe quae politica erant maxime; Aca-
„ demica, quia Eloquentiam spectabant; Peri-
„ patetica, quippe quae popularia essent et
„ politica. Stoica quoque acceperunt, quippe
„ indoli suae et gravitati congrua. Epicureo-
„ rum placita, quae homines, otio abundantes,
„ a rebus politicis abstinere juberent, paucis-
„ simi tantum secuti sunt. Amabant itaque ea
„ praesertim, quae in vita civili usum haberent,
„ et utilitatem afferrent.

„ Haec si fuerit peculiaris Romanorum ratio
„ et indoles, intelligitur facile, improbari iis
„ debuisse ejusmodi jurisconsultum, qui, quae
„ didicerat, juris praecepta in usum non conferret.
„ Imo vero jurisprudentiam ideo prae caeteris
„ coluerunt, quia magis etiam, quam aliae
„ disciplinae quaevis, vitae civilis usui prac-
„ tico inserviret."

Agendo, respondendo, scribendo et cavendo praecipua jurisconsulti, in vita civili, munera contineri censuit Cicero (1). De agendo vi-di-

(1) *I. de Ora.*, 48. *Pro Muren. c.* 9.

dimus parte superiori, quum de eloquentia in causis tuendis diceremus. De reliquis singulatim nunc videmus (1).

Respondere dicebantur jurisconsulti, quando consulentibus, qui ad eorum prudentiam confugerent, quid juris esset traderent, sive quid aequum et justum videretur, explicarent. Respondebant sic aut e legibus scriptis, aut secundum jus consuetudine introductum. His autem tacentibus „ valebit aequitas, quae paribus in causis, paria jura desiderat" (2), ita ut quid in aliis similibusque causis jus sit constitutum, considerantes, secundum juris ἀναλογίαν argumentando, ex aequi bonique ratione ita consulentibus respondeant jurisconsulti, prouti legislatoris voluntati ac consilio maxime videtur consentaneum.

Sic respondendo, praeclarissimo fungebantur

(1) Legitima sunt hac in causa *respondendi*, *scribendi* et *cavendi* vocabula, etiam Ciceroni, in hac materie, semper usurpata. Eo sensu *Respondendi* vocabulum vide *de Leg. I.* 4. *II.* 12. *I. de Orat.* 45, 48. *II.* 27. *Brut.* 30, 42, 50. *Pro Muren.* 13, 9. De voce *scribere*, *I. de Orat.* 48. *Pro Muren* 9. *ad Divers. VII.* 14. *Cavere* usurpatur *de Offic. II.* 19. *pro Caecin.* 27. *ad Divers. III.* 1. *de Orat.* et *Pro Muren. l. c.* De quibus vocabulis, legitimis hac in re, conferri etiam potest BACHIUS, *Hist. Jurispr. Rom.* 2. 2. 4. 8.

(2) *Topic.* 4.

tur munere jurisconsulti. Dicuntur Ciceroni antiquitus transverso foro ambulasse, quod erat insigne, eum, qui id faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam: ad hos olim sive ita ambulantes, sive in solio sedentes domi, sic adibatur, non solum ut de jure civili ad eos, verum etiam de filia collocanda, et fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio aut negotio referretur (1). Cum igitur non de juris tantum causis a ICtis consilium expeteretur, sed adirentur ii quoque de rebus domesticis ac privatis, facile intelligitur, quam praeclarum hoc respondendi munus habitum fuerit, et quantam vim in res Romanorum omnes, tam politicas, quam civiles et domesticas adeo, responsis suis habuerint illi (2).

Scribebant jurisconsulti, quando formulas agendi componebant iis, qui lege agere volebant. Cum scilicet, uti notum est, patricii olim quibusvis, etiam minimis negotiis, formulas quasdam et ritus composuissent, quos, qui in foro agerent, observare debebant, plebs, sae ignorans, ad ipsorum prudentiam confugere coacta fuit, ne formulis hisce neglectis, quae contraxerat negotia, irrita videret. Quo majorem igi-

(1) *Ill. de Orat.* 33. (2) *Cf. Topic.* 17.

igitur sibi auctoritatem conciliarent ICti, magis magisque verborum has conceptiones et formulas auxerunt, ut quasvis rerum agendarum formulas, sive emancipationis, sive adoptionis sive testamentorum, sive aliorum negotiorum, clientibus conscriberent.

Consulentibus denique *cavebant*, iisque in negotiis contrahendis sive instruendis litibus, consiliis aderant, quibus illi sibi prospicerent, ne circumvenirentur aut caperentur ab aliis. Ostendebant scilicet, quomodo secundum leges, justis adhibitis cautionibus, recte esset contrahenda societas, domus conducenda, contractus ineundus (1), quod apud Romanos cautissime semper fieri debebat, cum tam ejus quod scriptum, quam quod nuncupatum erat, Romae maxima esset in negotiis contrahendis et dijudicandis efficacia (2).

Multum laudatur Serv. Sulpicius (3), quod in hoc respondendi, scribendi, cavendi munere, non adversariis tantum amicorum suorum, quid jus et aequum ferret, respondere non dubi-

(1) *Pro Muren. c. 9. III. de Orat.* 33.
(2) De qua re conferri potest BACHIUS, *Hist. Jur. Rom.* *l.* 2. c. 2. *S.* 4. §. 11.
(3) *Pro Muren. c.* 4.

bitaret, sed et quod vel inimicis sui fontes paterent. Sic qui vere jurisconsultus habebitur, is hanc, judice Cicerone, colere debet virtutem, ut nulla aut consulentium, aut aliorum, aut gratiae spectandae ratione habita, officio suo perfungatur, nullius amicitia ad propulsanda pericula impediatur (1).

Ut vero possit quis cuivis petenti exempla quid juris sit tradere, alacri praeditus sit ingenio, et in jure tradendo aut aequitate explicanda sit paratissimus; tanto simul valeat judicii acumine, ut vera a falsis discernere continuo possit. Sic demum in perfectorum, ex Ciceronis sententia, ICtorum numero habebitur. Hunc itaque solertem juris usum, promptamque et paratam in agendo et respondendo celeritatem maxime laudat Cicero in Scaevola, Aquillio Gallo, Serv. Sulpicio, aliisque optimae notae jurisconsultis (2).

Itaque respondendo, scribendo, cavendo, negotia privatorum Romae curarunt, disposuerunt, ordinarunt jurisconsulti, veluti optimi, de eo quid agendum aut omittendum esset, consiliarii: „Licebit igitur, diligenter cognitis argumentorum locis, non modo oratoribus et phi-

(1) *Pro Sulla.* c. 17. (2) *Brut.* c. 39. et 42.

philosophia, sed juris etiam peritis, copiose de consultationibus auia disputare (1). Illi enim dolum malum, illi fidem bonam, illi aequum, bonum, illi quid sociom socio, quid eum, qui negotia aliena curasset, ei, cujus ea negotia fuissent; quid eum, qui mandasset, eumve, cui mandatum esset, alterum alteri praestare oporteret, quid virum uxori, quid uxoram viro, tradiderunt" (2).

Jurisconsultos ita informatos summa dignitate et honore haberi voluit Cicero.

Ex Ciceronis sententia veri jurisconsulti imaginem describere conatus sum; quo rectius vero haec perspiciatur, videndum restat, quo loco et honore, qua existimatione Cicero dignum habuerit jurisconsultum, qualem cum sibi ipse informaverat.

Summis laudibus celebrare solebant Graeci rerum sacrarum et politicarum interpretes, ἐξηγητάς, quos perperam a nonnullis jurisconsultorum loco habitos esse, supra vidimus. Plutarcho dicuntur illi εὐπατρίδαι, quibus, primi or-

(1) *Topica*, 17. (2) *Ibidem.*

ordinis hominibus, omnia in civitate munera, omniumque sacrarum et humanarum legum curam dedit Theseus (1). De jure privato et civili *respondebant* οἱ πραγματικοί. Sed hi Atheuis infimi erant de plebe homines, mercedula adducti, qui ridebantur vulgo a comicis, et ludibrio habebantur populo.

Terentius in comoedia, Phormio inscripta, tres inducit juris peritos (2), *Hegionem*, *Cratinum* et *Critonem*, qui a *Demiphone* de jure civili consuluntur. Res agitur Athenis. Jurisconsultos autem ibi sic ludit Terentius:

„ . . . . . De. *Videtis quo in loco res haec siet.*
„ *Quid ago? dic*, *Hegio.* Heg. *Ego Cratinum censeo*,
„ *Si tibi videtur.* De. *dic*, *Cratine!* Crat. *mene vis?*
„ De. *te.* Crat. *ego*, *quae in rem tuam sint*, *ea velim facias mihi.*
„ *Sic hoc videtur: quod te absente hic filius*
„ *Egit*, *restitui in integrum*, *aequum est*, *et bonum*,

„ Et

(1) *Cf. Supra*, *p.* 14.

(2) Dicuntur ibi *advocati*, sed Terentium tamen eo loco πραγματικοὺς illos spectasse, inde patet, quod illi non ceu *advocati proprie dicti*, ibi *quasi amici et testes in controversia*, *aut cum reo in judicio inducuntur*, sed qui de jure consuluntur, *jurisperiti.*

„ *Et id impetrabis. dixi.* De. *Dic nunc, Hegio.*
„ Heg. *Ego sedulo hunc dixisse credo. Verum ita est,*
„ *Quot homines, tot sententiae: suus cuique mos.*
„ *Mihi non videtur, quod sit factum legibus,*
„ *Rescindi posse: et turpe inceptu est.* De. *dic, Crito.*
„ Crit. *Ego amplius deliberandum censeo:*
„ *Res magna est*" (2).

Neque dici facile potest comoediarum hic scriptor, Romae degens, minus recte expressisse Graecorum mores, aut in eos Romanorum instituta transtulisse. Solebat enim Terentius plerumque sequi mores et instituta Atheniensium, et quin hos praesertim eo loco secutus sit, nullum est dubium, si animadvertimus, eum ludibrio habere et ridere pragmaticos Athenis, infimae plebis homines, ut Cicero testatur. Longe abest, ut clarissimi quique viri Romae, jurisprudentiam professi, eo loco haberi potuerint a quoquam. Sic Phaedrus quoque mulierem commemorat, Athenis, in causa testamenti, juris peritos consulentem:

„ *Athenas rumor implet. Mater sedula*
„ *Juris peritos consulit*" (1).

Alia

(1) *Act. 2. Scen. 4. vs. 6.*
(2) *Fabul. lib. IV. fab. 4. vers. 13.*

Alia omnia Romae habebantur. Romani enim clarissimorum hominum auctoritate leges et jura recta esse voluerunt (1), et tanto honore juris professionem habuerunt, ut mirum non sit, Ciceronem aliquando professum esse, sperare se, ut aetatis vacationi confidens, more patrio sedens in solio, senectutis non inertis grato atque honesto munere fungeretur (2).

Sed jam habentur qui nos imprudentiae arguant, cum dicimus magno loco Ciceroni habitos esse juris prudentes. Afferunt illi ea, quae in Oratione pro Murena inveniuntur, satis contumeliose in jurisconsultos dicta. Haec vero antequam tradamus, videndum prius est, quanam opportunitate prolata sint, qua item in causa: patebit sic quomodo et quo sensu accipi debeant.

Causa, a Cicerone pro Murena dicta, hujusmodi erat. Cum, Coss. Cicerone et Antonio, Decimus Silanus et L. Murena in annum proximum Consules essent designati, Servius Sulpicius, jurisconsultus sui temporis primarius, qui una cum iis consulatum petierat, ira commotus, quod sibi Murena esset praelatus, ipsum ambitus accusavit. Causa autem cum tri-

(1) *L. de Orat.* 59. (2) *L. de Legib.* 3. *L. de Orat.* 45.

tribus actionibus peroraretur, in tertia actione Murenam Cicero, Consul, defendit; qui, postquam singulas accusationis partes pertractasset, et de vitae reprehensione, accusantibus satisfecisset, agere tandem incipit de contentione dignitatis, et quaerit, uter, Murena an Sulpicius, consulatu sit dignior. Comparationem instituit inter jurisconsultum et imperatorem exercitus, eum in finem ut ostendat, hunc consulatu digniorem esse, et muneri illi aptiorem etiam; dignitatem in juris scientia consularem numquam fuisse, gratias vero quam in imperatore multo minores (1). Quo magis autem propositum obtineat et imperatorem extollat, jurisconsultorum munus deprimit, quorum scientiam tenuem vocat, quum tractent res parvas, prope in singulis litteris atque interpunctionibus verborum occupatas (2), ne quis dubitet „ quin ad consulatum adipiscendum multo plus afferat dignitatis, rei militaris, quam juris civilis gloria" (3).

Intelligitur inde cur jurisconsultos in illa Oratione deprimat Cicero. Hinc profitetur: „Si mihi, homini vehementer occupato, stomachum moveritis, triduo me jurisconsultum esse profite-

(1) c. 13. (2) c. 11. (3) c. 9.

tebor" (1), quod dictum eo inserviebat maxime, ut ostenderet, quam parva sit ac exigua opera, quam impendi debere putaret ad talem sibi jurisperitiam comparandam, quali valebant ii, qui antiquas tantum agendi formulas tenerent, et legum verbis noscendis totam juris scientiam contineri arbitrarentur. Facile admodum esse respondendi negotium, contendit porro: „ quae consuluntur minimo periculo respondentur: si id, quod oportet, responderis: idem videare respondisse quod Servius: sin aliter, etiam controversum jus nosse et tractare videare" (2); quod dictum manifesto joci est plenum. Sic festive quoque ludit Sulpicium, propter antiquas illas, quas patricii olim invenerant, agendi formulas, eas inanissimas vocans, fraudis et stultitiae plenissimas. Addit, permulta legibus praeclare esse constituta, sed jurisconsultorum ingeniis pleraque corrupta esse ac depravata, quod exemplis quibusdam probare conatur (3). Porro, ex eadem causa, ipsos in omni jure civili aequitatem reliquisse, verba ipsa tenuisse contendit (4).

In

(1) c. 13.
(2) cap. cit.
(3) c. 12.
(4) cap. cit.

In tota autem hac oratione non adeo ipsum jurisconsulti munus deprimit, potius tantum nonnullos, eorumque agendi rationem carpit. Sic jurisconsultorum causam ab ipso jure omnino diversam ait Cicero, pro Caecina, cap. 25. „ nam qui jus civile contemnendum putat, is vincula revellit, non modo judiciorum, sed etiam utilitatis, vitaeque communis: qui autem interpretes juris vituperat, si imperitos esse dicit, de hominibus non de jure civili detrahit; sin peritis non putat esse obtemperandum? non homines laedit, sed leges ac jura labefactat." Vere sic monet Cl. Wyttenbachius, si illi, qui jurisconsultos se ferunt, jus atque leges non explicant, sed calumniando pervertunt, ideo non omnem jurisprudentiam esse explodendam (1).

Illud igitur Cicero hac Orationis pro Muraena habitae parte spectavit, ut persuaderet Sulpicio, *Jurisconsultum* contumelia non affici, quando *Imperator* ipsi, in petendo consulatu praeferretur. Tunc enim dicit agi de studiis ad honorem dispositis, non de insita cujosque virtute (2). Affirmat porro, omnes urbanas res, omnem forensem laudem et industriam latere in

(1) *Orat. de philos. art. laud. praec. p.* 14.
(2) *c.* 14.

in tutela ac praesidio bellicae virtutis; simul atque increpuit suspicio tumultus, artes tales, qualis jurisprudentia, conticescere (1). Virtus militaris Romae aeternam gloriam pepererat; in juris disciplina nullam moditam ad consulatum viam sese videre profitebatur (2). Multa igitur in hac Oratione potius causae ac temporia, quam judicii et auctoritatis dicta sunt, multa etiam coronae data (3).

Qua insigni veneratione jurisconsultos prosecutus sit Cicero, quam honorificum atque utile ipsorum munus praedicaverit, aliunde locis mul

(1) *Pro Muren.* 12.

(2) *cap. cit.*

(3) Cf. *de Finibus IV. c.* 27. Audiamus ipsum Ciceronem, *in Oratione pro Cluentio, c.* 50: „errat vehementer, si quis in orationibus nostris, quas in judiciis habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Omnes enim illae orationes causarum et temporum sunt, non hominum ipsorum ac patronorum." Hinc de sententia Orationis pro Murena existimari potest. Tenendum tamen est, iis, quae, ad controversiam agitatam non pertinentia, in orationibus inveniuntur, si caute agamus, ad Ciceronis de hac illave quaestione sententiam efficiendam, tuto uti licere, praesertim si non alia in Ciceronis scriptis loca exstent iis contraria. Cf. ASCON. PEDIAN. *in Orat. Cicer. I. pro Cornelio.* SCHULTING, *de Jurisp. Cicer. p.* 251.

multis effici potest. Et in ipsa quidem illa oratione, de qua egimus, justos jurisprudentiae honores tribuit. Ubi enim de vita dicit, quam ante consulatus petitionem et Sulpicius et Murena egerant, ita de Sulpicio: „Servius hic nobiscum hanc urbanam militiam respondendi, scribendi, cavendi, plenam sollicitudinis atque stomachi, secutus est; jus civile didicit. Magna laus et grata hominibus, unum hominem elaborare in ea scientia, quae sit multis profutura" (1); eandemque ob causam paullo post summam in Servio honestatem esse dicit, summam dignitatem (2).

Jurisprudentiam cum eloquentia civili a Cicerone saepe jungi, parique fere honore haberi, supra diximus. Si quis autem Ciceronis opera legerit, et ubivis animadverterit, quanti eloquentiam fecerit, si consideraverit denique, Ciceronem per totam vitam eo maxime tetendisse, ut eloquendi ipse optimus magister haberetur, is demum recte perspiciet quantum hoc jurisconsultis honori sit, a tali viro, qui ita de eloquentia senserit, in tantum dignitatis et honoris locum collocari.

Laudibus egregiis ipsum jus condecorat ubivis Cicero (3). Juris custodes, interpretes,

(1) *Muren.* 9. (2) *l. c.* (3) *Vid. supra pag.* 38.

tea, prudentes, maximo etiam honore dignos habere debuit. Celebravit in C. Aquillio eximiam jurisperitiam; propter hanc populum Romanum numquam nimium illius auctoritati confidere posse ait (1). Pari de causa Servii Sulpicii vitam, multis praeclarisque monumentis ad omnem memoriam commendatam dicit, ejusque legum interpretandarum, aequitatis explicandae scientiam *admirabilem* vocat, *incredibilem* ac *paene divinam* (2), quibus sane verbis usus non esset, si Servium aut Aquillium in ejusmodi tantum arte excelluisse putasset, quam omnes facile sibi compararent, aut cujus scientiam maxima laude dignam non habuisset. Primo libro de Legibus jurisconsultos grato atque honesto munere fungi ait (3), eandemque populo necessario (4). In jure cavere, consilio juvare alios, prodesse quam plurimis, hoc vehementer tum ad gratiam augendam, tum ad beneficiis homines obstringendos pertinere, de Officiis secundo affirmat (5); et cum multa praeclara essent majorum, in iis hoc praesertim praedicabat, quod optime constituti juris civilis summo semper in honore fue-

(1) *Pro Caecin.* 27. (2) *Philippic. IX.* c. 5.
(3) c. 3. (4) c. 4. (5) c. 19.

fuerit cognitio atque interpretatio (1). In egregiis illis libris de Oratore ubivis elucet Ciceronis de vere jurisconsultorum honore eximia sententia. Postquam enim multa dixit de juris scientia, perfecto Oratori necessaria, et egregie jus civile collaudavit, postquam cum utilitate voluptatem etiam praedicavit, ex juris studio percipiendam, et Graecos reprehendit, qui debitum jurisprudentiae honorem non praestiterant, tandem de jurisprudentiae et jurisconsultorum dignitate tam eximie pronunciat, ut alius, nostro judicio, locus non sit, quo aptius nostra de hoc argumento disputatio concludatur: „Senectuti celebrandae et ornandae quod honestius potest esse perfugium, quam juris interpretatio? Equidem mihi hoc subsidium jam ab adolescentia comparavi, non solum ad causarum usum forensium, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis, ut, cum me vires (quod fere jam tempus adventat) deficere coepissent, ab solitudine domum meam vindicarem. Quid est enim praeclarius, quam honoribus et reipublicae muneribus perfunctum senem posse suo jure dicere idem, quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo, se esse eum un-

(1) *Eadem.*

unde sibi, si non populi et reges, at omnes sui cives consilium expetunt,

„ *Suarum rerum incerti: quos ego mea ope ex*
„ *Incertis certos, compotesque consili*
„ *Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.*"

Est enim sine dubio domus jurisconsulti, totius oraculum civitatis" (1).

Dum commentationem hanc conscriberem, advertit me Cl. Crassi, dilectissimi quondam praeceptoris, oratio, qua perfecti jurisconsulti formam, ex Hugone Grotio informatam, proposuit. Hanc legens, deprehendere mihi visus sum, similem fere esse eam imaginem, quam in Grotio nobis proposuit vir celeberrimus, Ciceronianae descriptionis, quam nos tradere hic conati sumus. Qualem itaque perfectam jurisconsulti formam summus Crassus nobis in oratione illa spectandam reliquit, talem fere a Cicerone quoque informatam fuisse animadvertimus.

Prouti jurisconsulto vere dignum habuit Cicero studium philosophiae, qua fontes justi et aequi exquiruntur, et principia atque fundamenta constituuntur, quibus tota juris disci- pli-

(1) *L. de Orat.* 45.

plina innitatur, sic Cl. Crassus etiam, Grotium ideo celebrat, quod temporibus illis, primus ad bene sperandum de praeclaro iuris studio signa sustulerit, et philosophiae adhibita ope, incredibile iurisprudentiae incrementum admulerit (1).

Quam summam in vero ICto haberi voluit Cicero, iuris positivi scientiam, de eadem egregie etiam Grotium meruisse, docet Crassus (2), non minus ac de iuris arte, qua cujusque rei notionem et proprietatem justis definitionibus subjiciens, omnium facile definiendi solertiam superasse dicitur (3). Germanam autem interpretandi scientiam tanti in iurisconsulto aestimabat, ut Grotium, quod illam ad jurisprudentiam recte adhibuerit, et ad certas etiam regulas revocaverit, infinitum adjumentum et praesidium huic disciplinae adtulisse profiteatur (4).

Ut porro in Scaevola, Gallo Aquilio, Servio Sulpicio, iurisconsultis, singulare in agendo et respondendo ingenii acumen laudet Cicero (5), sic propriam ICti vim dicit vir Cl. „ut „ quae in re et causis insint ea omnia sagaciter „ odoretur et solerter eruat, ex quibus cetera „ facile conjiciat, dubitandi rationes ac decidendi vi-

(1) *Orat. laud. pag.* 28. *seqq. coll. pag.* 50.
(2) *pag.* 31, 36, *seqq.* (3) *pag.* 20. *seqq.*
(4) *pag.* 28. (5) Conf. *Brut.* c. 42.

„ videat, et tandem quid justum vel injustum,
„ factuque opus sit, promte perspiciat" (1).

Quodsi accuratae huic et perfectae juris scientiae, Ciceronis sententia, hoc accedere debeat, ut jurisconsultus sollerti quoque valeat juris usu tractandique dexteritate: in oratione laudata ii celebrantur praesertim, qui forensis etiam operae labore atque industria praestiterunt, et laudatur adeo Grotius, quod rebus gerendis eausisque tractandis tam egregie sit versatus (2).

At vero una quaedam est jurisprudentiae pars, quam parum curasse videtur Cicero, quam contra summo jure celebraram videmus in jurisconsulto ad Grotii exemplum informato; Gentium scilicet atque Publici juris peritia.

Cur vero eam minus attenderit Cicero, tribuendum maxime videtur peculiari antiquarum gentium conditioni, institutis plane dissimilibus, et temporum illorum rationi a nostris prorsus diversa. Romae scilicet, Ciceronis tempore, habebantur Oratores, qui publicis rebus totos se dabant, et de iis ad populum referebant. Oratoribus omnem antiquitatem percipiendam ducebat Cicero, senatoriam consuetudinem, disciplinam rei publicae, jura sociorum, foe-

(1) *pag.* 49. (2) *pag.* 43. *sqq.*

dora, pactiones, causam imperii cognoscendam (1): „ nam ut in rerum privatarum causis atque judiciis depromenda saepe oratio est ex jure civili, sic in causis publicis judiciorum, concionum, senatus, omnis haec et antiquitatis memoria, et publici juris auctoritas, et regendae reipublicae ratio ac scientia, tamquam alia materies, iis oratoribus, qui versantur in republica, subjecta esse debent" (2). His igitur oratoribus quum publicarum rerum agendarum provincia esset tradita, ideo illis juris etiam Gentium ac Publici, quod erat aetatis illius, peritiam necessariam existimabat Cicero, ad jurisconsultos vero, qui privatas magis res curare, de jure civili privato et domesticis negotiis agere, respondere, cavere debebant (3) scientiam illam minus pertinere putabat.

Et vero deerat etiamnunc antiquis populis vera juris Publici atque Gentium disciplina. Res diversorum antiquitatis populorum minus secum invicem erant conjunctae. Praeter Romanos et Graecos nulla fere Europae gens probabiliter exculta habebatur. Illi autem parum juris aut communionis sibi cum aliis populis inter-

(1) *l. de Orat. c.* 34. *coll. c.* 14.
(2) *l. de Orat. c.* 46.
(3) *l. de Orat. c.* 48.

cedere arbitrabantur, quos uno barbarorum nomine complectebantur omnes. Sic ne cogitabatur quidem de vera et peculiari disciplina juris Gentium ac Publici. Neque medii aevi temporibus exsistere facile ea potuit, quum nullo etiamnunc vinculo gentes secum invicem jungerentur. Sed in jurisconsulti imagine, quam in Grotio spectamus, debebat omnino exigi juris Publici atque Gentium cognitio (1), quum eo tempore, detecta America et nova in Indiam via, increscens magis magisque libertatis civilis studium, major conjunctio populorum, bello maxime triginta annorum tribuenda, efficerent, ut ipsa illa Grotii aetate, de gentium et civitatum jure agi et quaeri coeperit. Sed haec latius persequi hoc loco non attinet. Rationem tantum indicare voluimus, cur juris Publici ac Gentium disciplinam in Grotio spectatam, in jurisconsulto, e sententia Ciceronis informato, non item reperiatur.

(1) Cf. *Cras, Orat. laud. pag.* 26. *sqq.*

THE-

THESES.

I.

Egregia est imago perfecti jurisconsulti, quam sibi informavit Cicero. Voluit scilicet, ut philosophiae studium ad jurisprudentiam referretur, et coleretur ita vera juris scientia atque ars. Hanc autem comparari vix posse putabat, nisi accederet juris pontificii, antiquitatis etiam atque historiae cognitio. Porro Eloquentiae facultate jurisconsultus ex Ciceronis sententia carere non potest. His autem dotibus instructum, summo etiam ingenii et judicii acumine, prompta atque parata in agendo et respondendo celeritate praestantem, tum demum officio suo recte fungi arbitrabatur, si causis in foro agendis se daret, et consulentibus de jure responderet, scriberet, caveret. Hunc demum summo honore atque existimatione dignum censuit Cicero.

2.

Non ex scriptis tantum Ciceronis, qualem sibi perfectum jurisconsultum informaverit, effici potest, sed suo etiam exemplo, orationibus coram judicio habendis, egregie docuit, quomodo juris scientiam in usum et forum diducendam esse ipse existimaverit.

3.

Egregie de Jurisconsulto HORATIUS, *Epist. I. ep.* 16. vs. 40.

„ Vir bonus est quis?
„ Qui consulta patrum, qui leges juraque servat;
„ Quo multae magnaeque secantur judice lites;
„ Quo res sponsore et quo causae teste tenentur."

4.

Facile admodum est negotium, in praestantissimis etiam artium aut litterarum monumentis, vitia quaedam deprehendere, eaque, praetermissis bonis, palam praedicare. Sed illi qui hoc agunt, ipsi potius aliquid proferre studeant, quod artis dici mereatur monumentum, quam censu-
ram

tam egere aliorum. Recte clarissima DE STAEL, *de d'Allemagne*, tom. 2. pag. 48: „ *Quand il* „ *ne s'agit dans les ouvrages de l'art que de* „ *retrancher, cela n'est pas difficile: c'est* „ *l'ame et le talent qu'aucun critique ne peut* „ *donner: c'est-là ce qu'il faut respecter par-* „ *tout ou l'on le trouve, de quelque nuage que* „ *ces rayons célestes soient environnés. Loin* „ *de se réjouir des erreurs du génie, l'on* „ *sent qu'elles diminuent le patrimoine de la* „ *race humaine, et les titres de gloire dont* „ *elle s'enorgueillit.*"

5.

Venustate et elegantia placent artium monumenta, si eo tempore, quo confecta sunt, optimam referant antiquitatis imaginem. Haec eadem post saecula quasi juventutis vigore et flore se nobis commendabunt. Deprehendit hoc et eximie expressit PLUTARCHUS, qui egregiam Periclis operum praedicans pulcritudinem, cur spectatorem admiratione percellant, hanc reddit rationem: „ κάλλει μὲν γὰρ ἕκαστον εὐθὺς ἦν

τό-

τότε ἀρχαῖον, ἀκμῇ δὲ μέχρι νῦν πρόσφατόν ἐστι καὶ νεουργόν· οὕτως ἐπανθεῖ τις καινότης ἀεὶ ἄθικτον ὑπὸ τοῦ χρόνου διατηροῦσα τὴν ὄψιν, ὥσπερ ἀειθαλὲς πνεῦμα καὶ ψυχὴν ἀγήρω καταμεμιγμένην τῶν ἔργων ἐχόντων." Pericles, Cap. XIII.

6.

Agitabat aliquando HENRICUS IV, Rex Franciae, mente sua consilium, ferendi ejusmodi leges, quae mercium exterarum importationem impedirent, quo magis interna regni sui prosperitas promoveretur. Sed merito dissuasit prudentissimus de Sullij, dicens: „*c'est par une sage „ disposition de la providence, qui a voulu que „ tous les peuples de la terre, ou d'un conti- „ nent fussent attachés les uns aux autres „ par leurs communs besoins, qu'une contrée „ se trouve propre a rapporter telle chose, et „ celle-ci une autre.*" quibus verbis recte expressam videmus observationem Herodoti, quae exstat Histor. I. c. 32. „ *χώρη οὐδεμίη „ καταρκέει πάντα ἑωϋτῇ παρέχουσα, ἀλλὰ ἄλλο „ μὲν ἔχει, ἑτέρου δὲ ἐπιδέεται.*" Haec si ita sunt, intelligitur inde, quam perniciosae sint prohibi-

ti-

tivae illae leges, quae veram tollunt mercaturae et navigationis libertatem, quum rumpatur sic vinculum, quo gentes mutuo continentur, veluti communi quadam et magna societate junctae. Vid. CHAPTAL, *de l'industrie Française*, Disc. prélim. pag. 47.

7.

Testamentum facere, et de eo quod post mortem de bonis fieri velimus, disponere, Juris Naturalis est. Egregie hoc probat, et Bijnkershoekii contrariam sententiam refellit LUSAC, *ad Wolfii institutiones Jur. Nat. et. Gent.* §. 927. n°. g. Conf. CRAS, *notice sur les écrits et la vie d'Elie Lusac*, p. 17.

8.

Assentimur BARBEYRACIO, *ad Puffendorfii Jus Nat. et Gent. Edit Gall.* Lib. I. c. VII. §. 5. n. 5. dicenti: *Qu'il y ait véritablement de tel-„ les actions, qui ne sont ni bonnes ni mau-„ vaises, et devant les hommes et devant Dieu, „ c'est ce qui ne saurait raisonnablement souf-„ frir de difficulté; car combien n'y a t'il pas „ de*

„ *de choses, qui ne sont ordonnées ni défen-*
„ *dues par aucune loi, soit Divine ou hu-*
„ *maine, et que l'on a droit de faire ou de*
„ *ne pas faire comme on le juge à propos.*"

9.

In explicanda *lege* 2. §. 47. *D. de Orig. Jur.* nostram fecimus sententiam viri Cons. FRETS, *over het gezag der regtsgel. bij de Romeinen, enz.* pag. 55.

10.

Qui se aliquid facturum promisit non liberatur praestando illud quod interest.

11.

Ex *Art.* 384, juncto *Art.* 386, *Cod. Nap.* sequi videtur neutri conjugi usumfructum bonorum liberorum competere, si divortium mutuo consensu factum sit.

12.

Parens etiamsi tutelam non gerat, tamen recte emancipat liberos.

71

CORRIGENDA.

Pag.	10.	vs. 1.	*pro*	expeterem	*leg.*	expeterem
—	18.	not. 2.	—	c. 44.	—	c. 4.
—	19.	vs. 25.	—	intimas	—	intimos
—	50.	not. 2.	—	c. 2.	—	c. 27.
—	52.	vs. 23.	—	ex	—	et
—	38.	— 21.	—	libris	—	liberis
—	40.	— 25.	—	propiam	—	propriam
—	41.	— 11.	—	minimque	—	minimque
—	44.	not. 5.	—	VIII.	—	VII.
—	45.	— 1.	—	l. c.	—	I. de Orat. c. 8.
—	46.	— 1.	—	I.	—	III.

Caetera, si quae supersint, vitia Typographica corrigat B. L.

13